



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXIV. De purgatione canonica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

TITULUS XXXIV.

De purgatione canonica.

CAPVT I.

Ex Concilio^a Triburiensi.

Obilis homo, vel ingenuus, si in Synodo accusatur, & negaverit, si fidelem esse eum sciverit, cum xii. ingenuis se expurget. Si antea deprehensus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso testimonio, ad iuramentum non admittatur: sed sicut qui ingenuus non est, ferventi aqua, aut candenti ferro se expurget.

NOTÆ.

^a Triburiensi.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub tit. de purgatione vulgari. ex qua literam transcribo: & etiam ex hoc Concilio textus hic citatur à Burchardo lib. 16. decret. cap. 19. & sub nomine Palex à Gratiano in cap. nobiles 5. 2. quest. 5. Et licet verba ipsa non reperiantur in Concilio Triburiensi, extat tamen sententia in canone 22. in hæc verba: Si quis fidelis libertate nobilis, aliquo crimine, aut infamia deputatur, vetatur jure iuramento se excusare: si vero tanto, talique crimine publicatur, ut criminofus à populo suspicetur, & propterea superjurer, aut confiteatur, & peniteat, aut Episcopo, vel suo misso discutiente per ignem candenti ferro caute examinetur. Illud ex presenti canone liquidò constat, adhibitâ discretionè dignitatis, statûs & conditionis, penas delinquentibus imponendas esse, fevriusque in servos, quàm in nobiles animadverti, l. 13. §. 3. l. capitulum 28. §. final. ff. de poenis. Cujus discriminis vestigia extant

apud Paulum lib. 5. sentent. tit. 8. §. 1. & tit. 20. §. 2. & ult. & tit. 23. §. 11. l. 3. §. penult. ff. ad leg. Cornel. de scar. juncta l. 12. §. ult. ff. de accusat. l. 6. ff. ad leg. iul. pecul. Ulpianum lib. 7. de offic. Procons. apud Licinium Rufinum in collat. legum Mosaic. tit. 28. de veneficis. cap. pastoralis 28. de offic. deleg. cap. final. de poenis, l. 8. tit. 3. partit. 7. ibi: Que mas crudamente debe ser escarmentado el hombre vil, que el fidalgo. Concil. Narbon. cap. 4. Quod si quisquam presumpserit facere, si ingenuus est, det Comiti civitatis solidos sex: si servus, centum flagella suscipiat. Moris pro lege fuit apud Francos & Suevos incendiarium, aut prædonem antequam morte plecteretur, ignominia causâ canem circumferre; si plebeius, sellam; si rusticus, rotam aratri. Otho Frising. lib. 2. de gestis Frider. cap. 18. quem refert Dadinus Alteserra de Ducibus lib. 2. cap. 8. Prosequuntur Tiraquellus de nobilit. cap. 2. Simancas de catholicis instit. tit. 4. §. ex num. 29. Wisembachius disputat. 1. num. 14. & notavimus jam in cap. final. de foro compet.

CAPVT II.

Ex Concilio^a Agathensi.

SI quis presbyter vitæ suæ negligens pravis exemplis malè de se suspicari permittit, & populus ab ipso iuramento, seu ^b banno christianitatis confictus infamiam ejus patefecerit, & certi accusatores criminis ejusdem defuerint, admoneatur primò seorsum ab Episcopo; deinde sub duobus, vel tribus testibus, si non emendaverit, Episcopus eum publica increpatione admoneat. Si verò non sic se correxerit, ab officio suspendatur, usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur.

NOTÆ.

^a Agathensi.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & ex ipso Concilio citatur textus hic à Burchardo lib. 2. decret. cap. 181. Carnot. part. 6. decreti, cap. 226. ex quibus illum transcribo: & inter fragmenta addita ipsius Concilii reperitur textus hic, & ultima ejus pars extat apud Gratianum in c. si legitimi 12. 2. quest. 5. Concilium hoc celebratum fuit in Agathensi urbe, in Basilica S. Andreae, 3. Idus Septembris anni 506. Symmachi Papæ 8. Anastasii Imperatoris 16. Theodorici in Italia regnantis 14. Præsidente D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Cesario Arelatenfi Episcopo, pro disciplina ecclesiastica collapsa restituenda, ut constat ex canone 73. Concilii Meldensis, & refert Coriolanus in sum. Concilior. fol. 332. Binius in eius notis, tom. 10. Concil. Regiæ edition.

^b Banno.) Bannire apud antiquos Francos idem est ac edicto vocare, lib. 4. cap. 25. ibi: De cæteris vero causis, unde quis rationem est redditurus, non bannitur, sed per Comitem bannitur. In legibus Ripuar. tit. 67. Si quis legibus in utilitatem Regis, sive in hostes, sive in reliquam utilitatem bannitus fuerit, & minime adimpleverit, si egritudo eum non detinuerit, solidis lx. mulctetur. Gregorius Turonensis

in appendice, cap. 87. Iussu Sigeberti omnes Leudes Austriae in exercitu ad gradiendum banniti sunt. Marculfus lib. 1. formul. cap. ult. habemus ut omnes pagenses vestros bannire, & locis congruis per civitates, vicos, & castella congregare faciatis. Plura Joannes Vossius de vitii sermon. lib. 2. cap. 22. Bignonius ad Marculf. lib. 1. formul. cap. 40. Sic bannum pro denunciatione, & edicto ponitur lib. 3. cap. 66. & lib. 4. cap. 24. quo modo accipitur in presenti, & in cap. 55. 16. quest. 1. cap. 13 de prescript. cap. tua 27. de spons. cap. 1. qui matrimonia accusare, cap. 2. 15. quest. 4. ubi bannire significat edicto adjecta poenâ vocare. Inde etiam poena, seu multa edicto non obtemperantis, bannum dicitur sepe in Capitularibus congestis à Lindembrogio in glossario legum antiq. verbo Bannus: & etiam pro exilio & ejectione plerumque ponitur, cum quis eiecitur à confortio fidelium; unde bannus Dei dicitur in Synodo Confluentina can. 6. & in Concilio Coloniensi part. 14. cap. 21. ibi: Ceteros omnes nobiles, & ignobiles per bannum Christianitatis confringat.

Non tamen semper bannus communionis ecclesiasticae interdictum, sed poenam aliam ingerit, veluti peregrinationis, aut jejunii. Quare in Concilio Salegust. can. 15. legitur, bannitum jejunium, pro jejuniis magno, & rigido: quasi per eum bannum, sive iram Dei avertamus, ut exponit Lautmeter. lib. 2. de veteri cleric. cap. 87. plura de banno, & ejus acceptationibus congefferunt Cironius lib. 1. observ. cap. 16. & in cap. olm. de injuriis, in 5. compil. Filescus de origine paroc. cap. 7. ad finem, & in cap. 1. §. 19. de offic. ordin. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 95. Sirmondus ad capitul. Caroli, fol. 59. & 63. P. Pitheus lib. 2. advers. cap. 20. Chopinus lib. 1. de jurisd. Andegau. cap. 4. Stephanus Durantius qq. jur. quest. 28. D. Nicolaus Anton. de exilio lib. 3. cap. 9. Beyerlinch. in Theatro, tom. 1. verbo Bannus. Unde banno Christianitatis parochianos costringi in presenti est edicto per se piscopum cogi sub interminatione interdictiois communionis Christiana.

CAPVT III.

Ex Concilio^a Meldensi.

UT illæ, quæ quasi sanctimoniales sub velamine religionis degere cognoscuntur, sed potius juxta Apostolum in deliciis viventes, mortuæ in divinis oculis computantur, libidinibusque, & cæteris carnis voluptatibus inservire accusantur, si manifestè detegi potuerit, Episcopali auctoritate, & Regia potestate in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur, ubi poenitentiam si fecerit dignam, adsequantur etiam fructuosam. Si autem manifestè detegi non valuerint, erga Ecclesiam suæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur: & ut religiosius de cætero vivant, Episcopali decreto, & Regia potestate coercerentur.

NOTÆ.

^aMeldensi.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. & ex ipso Concilio citatur textus hic à Burchardo lib. 8. Decre.

ti, cap. 50. Carnotensi part. 7. Decreti, cap. 68. & extat in ipso Concilio can. 70. pro ut in presenti transcribitur. De hoc Concilio Meldensi jam nonnulla adduxi in cap. 1. de consuet.

CAPVT IV.

Ex^a eodem.

DE his, qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt, antiqua, & synodalis sententia observetur: quod si fortè in Ecclesia, eventus talis reperiri dignoscitur, ut pro salutis, & religionis competentiã humaniùs quiddam debeant tractare Pontifices, sicut canonica (ut eisdem verbis utamur) docet auctoritas; quia prior quidem, iniquis, diffinitio durius; posterior autem quiddam tractavit humaniùs, nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat poenitentia, & sponso legaliter multam componat. Quod si his obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur: fautores verò illius juxta modum culpæ Episcopali decreto poeniteant. Si verò, quod non optamus, de gradu proprio repellatur: et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsus, & canonicè nequiverit approbari, secundum sanctorum Patrum statuta se purgare cogatur.

NOTÆ.

^aEodem.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & ex eodem Concilio.

lio citatur textus hic à Burchardo lib. 9. Decreti, cap. 32. Carnotensi part. 8. Decreti, cap. 120. extatque in canone 68. ipsius Concilii pro ut in presenti transcribitur.

CAPVT

CAPVT V.

^a Innocen. Papa ^b Aquilegiensi Patriarchæ, & ^c Episcopo. ^e Mant.

Quotiens frater noster A. ^d Tridentinus Episcopus in nostra & vestra de simonia impetrus sit presentia, prudentiam vestram latere non credimus, cuius causam in presentia nostra ventilavimus. Producti sunt apud eum accusatores, sed una voce scriptum afferentes, nec testes secundum formam canonum producere potuerunt, quod Ecclesiam beati Petri de Pasorum presbytero Paulo dederit pro quatuor modiis de frumento, quos ab eisdem Ecclesie laicis acceperit. Vnde quia nec accusatores, nec testes secundum formam canonum, & ita ut a sanctorum Patrum in causam ipsam procedere potuerunt, communi fratrum nostrorum consilio iudicamus, ut tertia manu sui ordinis, & quatuor Abbatum, & religiosorum sacerdotum de supra dicta simonia in vestra presentia se debeat expurgare. Porro expurgationis tenor erit huiusmodi. Idem Episcopus super sancta Evangelia primum iurabit, quod pro Ecclesia sancti Petri de Pa presbytero Paulo danda, nec per submissam personam, nec aliquis pro eo, se sciente pretium receperit: deinde expurgatores super sancta Evangelia iurabunt similiter, quod ipsi credunt, quod verum iuravit.

NOTÆ.

^{1.} ^a **I**nnoctius. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 4. & post Concil. Lateran. p. 50. c. 57. & sub nomine Paleæ textum hunc retulit Gratianus in cap. quotiens 2. quest. 4. Unde cognoscitur quam perperam in hac sexta collectione legitur Innocentius III. cum decisiones huius Pontificis non reperiantur compilatae, nec in prima collectione, nec in Decreto Gratiani. Et ita recte textum hunc tribuit Innocentio II. Antonius Augustinus in presenti.

^{2.} ^b Aquilegiensi. Aquilegia, sive Aquileia, ut legitur apud Eustachium in Scholis ad Dionysium, est urbs maxima Venetiarum, dicta Aquileia ab aquila, quæ, teste Iuliano Imperatore, urbi cum conderetur, dextra ex parte advolans, suo nomine vocabulum imposuit. Habuit Ecclesiam Cathedralem jam a primis Ecclesie sæculis. Fortunatiani eius Praefulus meminit D. Hieronymus in lib. de script. Eccl. & Leo Magnus epistolam scripsit ad Nicetam, & Iulianum Aquileienses Praefules: postea Patriarcha constitutus fuit ejus Episcopus, ut constat ex epistola Stephani Pontificis ad Gualbertum. Sed postea Attila Aquileiam obli-

dente, Patriarcha ipse Gradum se recepit, unde Gradenfis appellari cepit: sed Grado relicto propter calum in clementiam, occasionem ipse dedit Venetis eam dignitatem ad Episcopum proprium trahendi Nicolai V. Pontificis beneficio: quare Patriarcha hic aliquando dicitur Aquileiensis, aliquando Gradenfis, plerumque Venetus. Aquileiensis appellatur in Synodo Francofort. Gradenfis in cap. 29. de offic. deleg.

^{3.} ^c Mantuano. Mantua nobilis Galliarum Cisalpinarum civitas est, circa cuius conditorem varia adducit Ughellius tom. 1 Italiae sacrae, fol. 924. ubi exponit locum sui Mantuani lib. 10. Aeneidos. Habuit a primis Ecclesie sæculis Ecclesiam Cathedralem, quæ paruit primò Mediolanensi Archiepiscopi: postea Gregorius II. Patriarcha Aquileiensi sedem illam adiecit, sed demum Pius V. anno 1553. Mantuanam Ecclesiam a jurisdictione Aquileiensis exemit, atque Romanæ Ecclesie eandem immediatè subiecit, ut refert Ughellius ubi supra. Ejus Praefuli Vidoni refertur in presenti Pontifex.

^d Tridentinus. Adelpertus videlicet III. huius nominis. De Tridentina diocesi nonnulla adduxi in cap. 9. de concess. praeb.

CAPVT VI.

Alexand. ^a Ewriensi Episcopo.

Nos inter alios praeminemus supernam, licet immeriti, dignitate, ut quæ dubia sunt, debeamus declarare, & singulorum consultationibus, quantum nobis Dominus ministravit, sollicitè respondere, ut quaestiones sub examine Rom. Ecclesie terminentur, quæ inter alias Ecclesias, disponente Domino, obtinet principatum. Vnde quia nos tua duxit fraternitas consulendos, utrum Episcopus parochianum suum, publicam famam eum accusante, ad purgationem cogere possit: Consultationi tuae taliter respondemus, quod si de hoc ^b crimine publicam laborat infamia, accusatione, & testibus deficientibus, ad purgationem est per diocesana Episcopum compellendus, nisi fortè super ipsa causa ad superiorem iudicem duxerit appellandum. Sanè si appellaverit, eius parebit iudicio, ad cuius examen causam voluit per appellationem transferre.

X x 4

NOTÆ.

NOTÆ.

¹ a **E**Urensi.) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* quamvis in priore ejus parte, quæ extat *sub tit. de offic. Ordinarii, cap. 4. in eadem collect.* ex qua restituo integram literam hujus textus, legatur *Gen. Episcopo:* in cujus notis Augustinus asserit legendum esse *Genuensi Episcopo;* sed malè, cum obftet inscriptio ipsa ibi, *Episcopo.*

Quare credo retinendam esse inscriptionem *Euren-* *riensi,* quæ extat in dicta prima collectione: Euria enim, aliquando Europa dicta, est in provincia Nicopolitana Illyrici Orientalis, cujus Episcopus Theodorus subscripsit Concilio Constantinopolitano temporibus Agathonis, & Menæ celebrato.

b *Crimine.* Cujus punitio spectat ad iudicium Ecclesiæ, juxta tradita in *cap. 2. de offic. ordin.*

CAPVT VII.

Idem ^a *Gaietan. electo.*

CVm P. Manconella presbyter. *Et infra:* Purgatores illius honestatis, & opinionis esse volumus, quod verisimile sit eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecuniæ dejerare. Vt autem idonei appareant, necesse est, ut ejus, quem purgare debent, vitam & conversationem agnoscant. Deficientem verò in purgatione omni officio, & beneficio ecclesiastico privare procuret: præcavens, quod si qui purgandoin sua voluerint purgatione assistere, nullam eis malevolentiam, vel indignationem ostendas, nec eos impediās, vel ab aliis, quantum in te est, impediri permittas.

NOTÆ.

a **G**aietan.) Ita legitur in prima collectione, *sub tit. de accusationibus, cap. 12. post Con-*

cilium verò Lateran. *part. 50. cap. 14.* legitur *Gaietanensi:* sed veram ejus inscriptionem dedi in *cap. cum P. de accusat.*

CAPVT VIII.

^a *Lucius III.*

EX tuarum intelleximus continentia literarum, quod cum H presbyterum latorem presentium, quia infamabatur de homicidio, communicato fratrum consilio in Episcopatu tuo à sacerdotali officio suspendisses, bonæ memoriæ prædecessoris tui literas tulit in medium, quibus apparuit eum iudicio aquæ frigidæ suam innocentiam purgavisse, & Episcopum eum suis literis absoluisse: & scholaris, & qui homicidium instigante diabolo perpetraverat, immunem seipsum à crimine tactis sacrosanctis Evangeliiis affirmavit. Quia verò cum peregrina ^b iudicia sacris canonibus sint inhibenda, purgationem, quam præstitit, sufficere non putamus: f. t. per A. f. m. quæ si accusatores minimè idonei inventi fuerint, qui eum de homicidio convincere possint, ut cum VII. aut V. manu sui ordinis, sicut expedire cognoveris, per purgationem canonicam innocentiam suam ostendat, injungas: quam cum præstitit, suspensionem sine mora, & difficultate relaxes, & cum testimonii boni adnuntians, ab infamia homicidii, nullius cont. vel ap. ob. auctoritate nostra fretus absolvas. Is autem, qui infamatur, sese immunem à crimine homicidii præstito juramento firmabit, & purgatores, quod eum credant verum jurasse, jurare debebunt.

NOTÆ.

¹ a **L**ucius III.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5. post Concil. autem Later. part. 50. cap. 50.* habetur *Curen Episcopo.* Cures enim, seu Curis, est civitas Italiæ in provin-

cia Valeriæ, teste Strabone *lib. 5.* cujus Episcopus Tiberius subscripsit Concilio Romano sub Hilario celebrato, ut refert Carolus à sancto Paulo *lib. 1. geograph. sacr. fol. 57.*

b *Iudicia.* Ut probabimus *infra, tit. proximo.*

CAPVT IX.

Idem ^a *Winton. Episcopo*

Constitutus in presentia nostra P. Diaconus de Botha, suâ nobis assertionem monstravit, &c. *Et infra:* Præterea illud nobis non modicam admirationem inducit, quod purgationem oblatam recipere noluit, nisi priùs commendasset nomina singulorum

singulorum qui jam dictum P. purgare volebant, & de nationibus, & de cæteris supradictis prius inquireres diligenter, tanquam esses ordinationem facturus. Vtinam sic discuteres ordinandos. Sanè in purgationibus faciendis, cum satis sit illi, qui purgando exhibet juramentum, si secundum propriam conscientiam, & opinionem jurat, quod purgandus à crimine sit immunis, & bonum exhibuit juramentum, si purgatores ab Ecclesia tolerantur, & sunt bonæ famæ, in suis ordinibus ministrantes, nec in iudicio pro crimine condemnati, procul dubio sunt absque ullius indagine admittendi.

NOTÆ.

^a **W**intoniensi.) Itætiã legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 6. post Concil.

autem Lateran. part. 8. cap. 21. tantum Lucius III. de Wintoniensi Angliæ diocæsi egi in cap. cum Winton. de elect.

CAPVT X.

N^a Senonen. Archiepiscopo.

Inter sollicitudines nostras illa debet esse præcipua, ut capiamus vulpeculas, quæ imoliuntur vineam Domini demoliri, species quidem habentes diversas, sed caudas admodum colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipsum. Hi sunt namque caupones, qui aquam vino commiscunt, qui virus draconis in aureo calice Babylo-nis propinant; qui (juxta verbum Prophetæ,) arcum rem amarum intendunt, ut sagittent innoxios in occultis: quorum error serpit ut cancer, ita quod nisi botrus in flore lædatur, fructum non solum amarum, sed etiam pestiferum germinabit. Hos Apost. egregius prædicator in epistola sua prophetico sermone describit, & docet omnimodis evitandos. Contra quos sacerdotes tubis argenteis clangere debent, ut conclamante populo, arca fœderis præcedente, muri corruant Hierico, quæ jam fuerat perpetuo anathemate condemnata; ita quod si quis ex ea vel regulam auream furari præsumperit, cum Achor filio Charmi lapidibus obruatur. Tu ergo sicut vir providus, & discretus, veri pastoris adimpleres officium, & super grege tibi commisso purè, ac plenè sollicitudinem pastorem exeres, dum & legem Christi zelaris, & hæreticorum impugnans errorem, in fautores ipsorum exeris gladium canonicæ ultionis. Vigilans enim vigilas super grege tuo, ne relicto veri Pastoris ovili, quod est unum, oves aberrent, post vestigia gregum, qui non sunt ex eo, temerè abeuntes; vel ne lupus eas rapiat, & dispergat, quas veritas in eodem ovili sub uno pastore fidei Catholicæ coëunivit. Inter præcipuos quidem vineæ Domini Sabaoth agricolas deputatus, vulpeculas, quas descripsimus, non pateris ejus speciem demoliri, sed eas vel capere potius saragis, vel fugare. Sanè sicut ex literis tuæ fraternitatis accepimus, cum ad preces venerab fratris nostri Altissiodoren. Episcopi ad villam, quæ charitas dicitur, accessisses, præsentibus eodem, & venerabilibus fratribus nostris Nivernen. & Melden. Episcopis, in unum fecisti ejusdem villæ populum congregari: ubi de hæreticis, & eorum dogmatibus inquisitione diligenti habitâ, inter alios, quos super hæretica pravitate reperisti publicè infamatos, Decanum Nivernen. communi didicisti opinione gravari, & in eo, & per eum non modicum fuisse scandalum Catholicorum animis declaratum. Vnde propter vehementem infamiam, & grave scandalum ipsum ab officio, & beneficio suspendisti, apud Altissiodor. diem ei certum assignans, quo tuo se conspectui præsentaret ab objecto crimine defensurum. Cumque statuto termino ad tuam præsentiam accessisset, præsentibus dictis Altissiodoren. & Nivernen. Episcopis, ac pluribus in utroque jure peritis, cum certus accusator contra eum minimè compareret, tu ex officio tuo testes tam pro ipso, quàm contra ipsum recipi, ac diligenter examinari fecisti, & attestationes etiam publicari. Cumque postmodum se non ad concessum ei diem tuo se conspectui præsentasset, cum facultatem liberam indul-sisses in testes ac eorum dicta dicendi, ac proponendi suas in medium rationes, quibusdam propositis probationibus, & allegationibus, tandem renuntians, sententiã postulavit. Tu vero cum venerabilibus fratribus nostris Trecen. ac dictis Altissiodoren. & Nivernen. Episcopis secedens in unum, inspectis attestationibus diligenter, & adhibito plurium consilio sapientium, quia crimen contra eum liquido probatum non erat, ipsum non duxisti de hæresi condemnandum. Verum quoniam ex dictis

dictis testium multa erat præsumptio contra eum, utpote cum esset manifestè probatum, eum familiaritatem hæreticorum non solum habuisse, sed etiam captasse scienter, cum publicè etiam laboraret infamiâ, & tantum suscitatum esset scandalum contra ipsum, quod non posset canonica purgatione deleri, nec ipsū absolvere, nec purgationē, quā obtulerat ab initio, & tunc etiam offerebat, recipere voluisti; sed ipsum cum literis tuis ad Sedem duxisti Apostolicam destinandum, intelligens, quod ex concessa nobis plenitudine potestatis, citra pœnam canonicam dispensare possimus, & ultra eam rigorem severitatis augere. Caterum ei postmodum in nostra præsentia constituto communem audientiam in nostro consistorio concessimus: ubi se multipliciter nixus est excusare, illud præsertim allegans, quod cum non apparente accusatore legitimo purgationem offerret, testes contra eum non fuerant aliquatenus admittendi. Nos igitur literarum scientiam, & honestatem morum in te pariter attendentes, licet ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum usque ad purgationem canonicam doceat suspendendos, quod tamen etiam cum à beneficio propter immanitatem criminis, ut credimus, suspendisti, nolimus improbare; nec illud etiam propter causam improbamus eandem, quod licet nullus contra eum legitimus accusator compareret; ad detegendam tamen hujus mortifera pestis, immò pestifera mortis radicem, ex officio tuo, famā publicā deferente voluisti plenius inquirere veritatem. Attendentes autem vulgatam infamiam, grave scandalum, & vehementem suspicionem ex testium dictis abortam, quæ contra eundem Decanum facere videbantur, cum propter eorum quodlibet ei esset purgatio injungenda; & ferventes, & mollientes rigorem, de consilio fratrum nostrorum Archiepiscoporum etiam, & Episcoporum apud sedem Apostolicam existentium, purgationem quartæ decimæ manus sui ordinis ei duximus indicendam. Ipsum igitur ad te cum literis Apostolicis remittentes, ut ibi purgetur, ubi noscitur infamatus, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ascitis tecum dicto Nivernen. & venerabili fratre nostro Parisien. Episcopis, indictam ei à nobis purgationem recipias: ita tamen, ut qui ad ejus purgationem processerint comprobendam, sint fide Catholici, & vitæ probati: qui conversationem & vitam ipsius non tam moderno tempore noverint, quam transacto. Purgatione verò receptā beneficium ei restituere non postponas, ne cogatur in Cleri opprobrium mendicare. In pœnam autem familiaritatis illius, quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur: ita tamen, ut publicè familiaritatem hæreticorum abjuret. Præcipias insuper ipsi directè, ut in prædicta, & aliis villis circumpositis profiteatur, & prædicet fidem catholicam, ac confundat, & deresteretur hæreticam pravitatem, sic deinceps vitam suam bonis adornans operibus, ut infamia convertatur in famam, & omne scandalum, & suspicio de Catholicorum mentibus deleatur. Quod si forsan in purgatione defecerit, eum ecclesiasticæ distinctionis mucrone percellas, & ab officio, beneficioque depositum, ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium retrudere non omittas. Datum Later. Non. Maij.

NOTÆ.

^a *Senonensi.* Ita etiam legitur in tertiâ collectione, sub hoc tit. cap. 1. & reperitur textus hic in epistolis ipsius Pontificis correctis à Sirleto fol. 309. ex quo regeſtro integram epistolam tranſcribo, ut plenius præſentis textus caſus com-

prehendatur. Pontifex reſcribit in hac epistola Petro de Corbolio, de quo jam nonnulla retuli in cap. 1. de poſtul. Pralat.

^b *Officio tantum.* Ex his verbis rectè probat Gibalinus de cenſur. diſquiſit. 7. queſt. 12. 3. part. regula, non ſemper ſuſpenſum ab officio, eſſe per conſequeus ſuſpenſum à beneficio.

CAPVT XI.

Idem Abbati ſancti ^a Dionyſii, & Priori ſancti Martini de Campis,
& Magiſtro Scholarum Aurelian.

Cvm dil. Et infra: Illud autem nos attendere volumus, & mandamus, ut tales persona ad purgationem hujusmodi admittantur, quæ vicinæ sunt, & honestæ.

NOTÆ

NOTÆ.

non tamē reperire potui textū hunc inter epistolas Innocentii editas à Sirleto, & Bosqueto: ideo cognoscei nequit quibus Prælati verè rescribat Innocent. & de cujus purgatione in eo agat.

1. ^a *Sancti Dionysii.* Ita præfens inscriptio concipitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2.

CAPVT XII.

^a Idem.

CVM in iuuentute sua. *Et infra:* Quia verò pater filium, quem diligit, corripit: nos eundem Episcopum per literas nostras corripimus, etiam injungentes eidem ad maiorem cautelam, ut ab illius familiaritate cessando, apud Deum, & homines taliter se haberet, quod sinistra de ipso suspicio non possit haberi: sed inimicus homo rescriptum literarum illarum subripiens, apud prædictum Regem, & Magnates regni ipsum nequiter publicavit, ut sic idem Episcopus deberet amplius infamari, cum videretur esse nobis incredibilis, & suspectus. Vnde nos tantam æmulorum nequitiam attendentes, licet pulsati fuerimus multotiens contra eum, nunquam tamen adversus ipsum potuimus commoveri, scientes, quod dictum facile sequitur multitudo. Vbi verò idem Episcopus ad Antigonien. Metropolim extitit postulatus, quidam qui super ipsa postulatione adversabantur eidem, ut promotionem ipsius facilius impedirent, illius criminationis carbones reaccendere sunt moliti. Vnde quidam procurator ipse in nostra præsentia constitutus de consilio quorundam amicorum suorum, qui super hoc quidem bonum zelum habebant, sed non secundum scientiam, cepit à nobis in præsentia fratrum nostrorum cum instantia postulare, quatenus eidem Episcopo purgationem canonicam faceremus indici, ut suam innocentiam demonstraret. Nos autem postulationem ipsius minùs providam, immò nimis improvidam reputantes, procuratorem ipsum ab ea sæpe volumus revocare. Cumque sæpefatus Episcopus non videretur apud bonos, & graves de illo crimine infamatus, cum Coepiscopi super hoc ex mandato Apostolico requisiti laudabile testimonium de ipso nobis curaverint exhibere; tamē quia talis infamatio videbatur ab inimicis, & æmulis processisse, sicut superius est expressum: unde cū antea cta ejus vita commendabilis extitisset, & hujusmodi facinus incredibile extitisse crederetur, non credebamus ei purgationem aliquam indicendam. Caterùm quia procurator instabat, compulsi fuimus non juris necessitate, sed importunitate petentis, ut ei per vos purgationem canonicam cum duobus Abbatibus mandarem indici, quamvis eidem procuratori fuerimus protestati, quod ex alia quoque causa talis petitio minùs providè tunc fiebat, quia videlicet Strigonien. Ecclesia suffraganei vix eo tempore purgarent eundem, quia in facto postulationis contradicebant eidem; & suffraganei Colocen. Ecclesiæ ipsum minimè tunc purgarent, quia inter eum, & Colocen. Archiepiscopum de Strigonien. Metropoli contentio vertebatur. Vnde cū non sint alii Pontifices in Vngaria, meritò videbatur, quod per Episcopos regni sui non posset in illo articulo se purgare.

NOTÆ.

- ^a *Idem.* Ita similiter legitur in tertia collecti-

one, sub hoc tit. cap. 3. sed veram inscriptionem & integram literam dedi in cap. cum in iuventute 15. de præsumpt. ubi extat alia pars præsentis Decretalis.

CAPVT XIII.

Idem. ^a *Tyrensi Archiepiscopo*

DE testibus. *Et infra:* Illi verò, qui ad purgandam huiusmodi infamiam inducuntur, id solum tenentur juramento firmare, quod veritatem eum credant dicere, qui purgatur.

NOTÆ.

- ^a *Tyrensi.* Ita etiam legitur in tertia colle-

ctione sub hoc tit. cap. 4. & in cap. de testibus, 29. de testibus, ubi integram epistolam hanc dedimus

CAPUT

CAPVT XIV.

Idem. ^a Florent. Episcopo.

Accedens ad præsentiam nostram dil. fil. T. diaconus parochianus tuus humili insinuatione monstravit, quod cum à suis ^b æmulis diceretur, quod esset filius sacerdotis, tu ipsum nec promovere voluisti, nec permisti ab alio promoveri. Quocirca f. t. per A. f. m. quat. si diaconus ipse publicè fuerit huiusmodi notè respersus, & de ipsa tibi legitime constare non potuerit, purgatione ab ipso recepta, dummodo aliud canonicum non obstat, ipsum non differas propter hoc ad sacerdotis officium promovere, quia etsi non sit nota delicti, est tamen nota defectus impediens ad sacros ordines promovendum.

NOTÆ.

1. ^a Florentino.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 5. Joanni videlicet Velliternensi. De Florentina Ecclesia egi in cap. 31. de elect.
2. ^b Æmulis.) Sed cum infamia orta est à malevolis, & æmulis, non est injungenda purgatio, siquidem ex tali infamia non resultat gravata opinio, cap. qualiter, el. 2. de accusat. Ergo in præsent

casu non erat indicenda purgatio propter infamiam in æmulis ortam. Respondetur in præsentia casu adfuisse scandalum aliunde ortum contra ipsum ordinandum, etsi tantum ex ejus allegatione constaret notam defectus natalium ab æmulis originem habuisse: quare propter scandalum, quod jam ortum erat, jungitur purgatio in præsentia casu, ut etiam jungitur in cap. inter, hoc tit. cap. presbyter si à plebe 2. quest. 4. docuit Morlain empor. jur. tit. 2. de jurisdic. num. 121.

CAPVT XV.

Idem. Abbati ^a Argentin. & Magistro G. Scholastico Cuciensi de Valle.

Cum dil. f. H. presbytero, & G. procuratore O. clericis constitutis in præsentia nostra dil. fil. T. Subd. & Capellanum nostrum concessimus auditorem, idem procurator proposuit coram eo, quod cum dictus presbyter super incestus crimine fuisset publicè infamatus, bon. memoria ^b Constantien. Episcopus ordinarius iudex eidem purgationem indixit; qui cum se purgare nequivisset, ab eodem Episcopo fuit in plena Synodo suis Ecclesiis sententialiter destitutus, quas ipse nihilominus detinuit aliquamdiu per violentiam occupatas. Cumque postmodum idem presbyter cujusdam consanguinei sui uxorem adductam in domo publicè detineret, ad petitionem H. Plebani de Heniso, & quorundam aliorum clericorum Constantien. dioc. dil. fil. de Scennis, & de Vestronen. Decan. nostras dicimur literas sub hac forma destinasse, ut si dictus presbyter super crimine adulterii, & incestus coram ipsis se purgare non posset, ipsum pœnâ debitâ castigarent: qui juxta mandati nostri tenorem in negotio procedentes, cum constitisset eisdem, quod idem presbyter pro eo, quod in purgatione defecerat, ab Episcopo memorato fuerat in Synodo condemnatus, ipsum utpote contumacem prædictis Ecclesiis per sententiam privaverunt, maximè cum de incestu, & adulterii crimine, tanquam de notorio, manifestè liqueret eisdem; dil. fil. Abbati sancti Galli, ad quem illarum Ecclesiarum donatio pertinebat, potestatem liberam concedentes Ecclesias ipsas personis aliis conferendi, qui eas postea suprascripto O. clerico assignavit. *Et infra:* Dictus verò presbyter inter cætera ex adverso respondit, quod processus judicum prædictorum debeat merito retractari: cum lite contestatâ, & post ap. ad nos interpositam procedere præsumperint contra eum: adjiciens insuper, quod licet idem presbyter ad abolendam omnem infamiam, purgationem indictam ab eodem electo, non tanquam delegato, sed ordinario curaverit exhibere, sæpediti tamen æmulorum non desinunt infamare. Vnde nobis humiliter supplicavit, ut ab illorum petitionibus absolutum faceremus ipsum prædictarum Ecclesiarum pacifica possessione gaudere. *Et infra:* His igitur, & aliis, quæ fuerunt coram prædicto Capellano proposita plenius intellectis, licet literæ illæ, quæ ad prædictos iudices impetratæ dicuntur, vel ipsarum transcriptum ostensum non fuerit coram nobis; quia tamen ex tenore relationis ipsarum, quam dictus procurator exhibuit

buit, ac si etiam litera ipsa ostensa fuissent, nobis constitit evidenter, iudices ipsos prætermisso juris ordine processisse, tam processum eorum, quam concessionem Ecclesiarum prædicto Abbati de mandato ipsorum factam auctoritate Ap. retractamus, præsertim cum relationis ipsius series repugnantia contineat, & adversa. Dicitur etenim quod crimen eiusdem Presbyteri usque adeo publicum fuerit, & notorium, quod nullus inficiationis locus penitus existeret, ut pote cuius universus vicinia populus testis erat: & tamen illud prætermittitur, quod eidem Presbytero terminum peremptorium præfixerunt, in quo si posset, super infamia prædictorum criminum canonicè se purgaret. Cum nimirum si crimen notorium existeret, non erat utique illi indicenda purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda. *Et infra*; Si verò nullus apparuerit legitimus accusator, & ipsum invenieritis apud bonos, & graves super prædictis criminibus, vel ipsorum altero infamatum, purgationem ei canonicam indicatis, non obstante, quod coram prædicto electo dicitur se purgasse, cum iudicio pendente coram iudicibus delegatis non debuerit ordinarius purgationem indicere infamato.

NOTÆ.

Constantiensi diœcesi Germaniæ egi in cap. 15. de præscript.

- 1. ^a **A**rgentin.) Ita etiam legitur in tertia, collectione, sub hoc tit. cap. 6. De Ecclesia Argentina Germaniæ, quæ olim erat canonicorum regularium, egi in cap. venerabili, de præb. & dignitatibus.
- 2. ^b Constantiensis Episcopus.) Werneus videlicet Baro de Stauffeu, vir probatæ vitæ. De Con-

^c Sancti Galli.) Vetustissimum, & potentissimum est hoc monasterium Ordinis D. Benedicti in diœcesi Constantiensi, ut refert Bucelinus tom. 1. Germaniæ sacra, p. 2. fol. 36. His temporibus florebat Abbas Rodulfus, qui postea fuit Episcopus Curienfis, ut refert Bucelinus ubi supra.

CAPVT XVI.

Idem ^a Episcopo Lingoniensi, & Abbati Morismundi Cisterciensis Ordinis, Lingoniensis diœcesis.

Recepimus literas vestras, quibus nobis intimare curatis, quod Apostolico suscepto mandato super indicenda purgatione venerabili fratri nostro Archiepiscopo Bisuntino, ad diem sibi præfixum comparuit coram vobis iuramentum purgationis offerens sub hac forma; videlicet, quod immunis erat ab illis criminibus, super quibus se purgare debebat. Cumque vos diceretis hanc non esse formam canonicam, & super id fuisset aliquandiu disputatum, ipse tandem ad nos vocem appellationis emisit, cui de prudentium virorum consilio detulistis. Ipse verò ad præsentiam nostram accedens, humiliter supplicavit, ut saltem super purgatione conscientia dignemur temperare rigorem; quia non audebat asserere, quod à nativitate sua nunquam esset passus lapsum carnis. Porro cum ab eo non credatur tale exactum fuisse iuramentum, potius præsumitur, quod alia de causa volebat sub præscripta forma jurare: videlicet quod immunis esset ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus; quia quamvis commisisset, tamen etiam iam esset immunis ab illis. Ideoque præscriptam purgationis formam, secundum quam idem Archiepiscopus coram nobis obtulit se purgare, penitus reprobamus, in iungentes eidem, ut si potuerit, & voluerit, sub hac forma se purget, secundum sanum intellectum, quem ei duximus exprimendum, videlicet simoniam, venditionem iustitiæ, atque incontinentiam, de quibus infamatus existit, juret se minimè commisisse, postquam ad Archiepiscopalem promotus est dignitatem: & compurgatores sic jurent, quod credunt eum verum jurasse. Quo factò vos illum dimitratis in pace, alioquin eum, sublato cuiuslibet contradictionis obstaculo removendum curetis à regimine Pastoralis: processu furi secundum formam in prioribus literis expressam. Hactenus literæ Innocentii Papæ.



NOTÆ.

1. ^a **I**dem.) Ita tantum legitur in hac sexta collectione, cum in antiquis collectionibus non reperitur hæc decretalis; sed restituenda est ita inscriptio: *Episcopo Lingoniensi & Abbati Morismundi Cisterciensis Ordinis, Lingoniensis diocesis, ut restituit ex registro Vaticani Manrique tom. 4. annal. Cisterc. anno 1216. cap. 3.* & ad hanc causam spectat textus in *cap. licet de accusat.* ubi refertur prima delegatio facta ab Innocentio III. pro inquisitione vitæ Archiepiscopi Bisuntinensis, qui cum in pluribus laborasset, præcipue simonia, incontinentia, & vendita iustitia, & cum de hoc ultimo delicto constitisset, de prioribus verò tantum fama exstaret, iussit Innocentius prædictis Episcopo, & Abbati, ut pro culpa probata penam statuerent, pro reliquis verò purgationem illi injungerent, in qua si diceret, pastoralis dignitate privarent, & pro purgatione formulam vulgarem præscripsit, videlicet ut purgandus juraret, se non fecisse, deinde compurgatores affirmarent etiam sub juramento se credere eundem non pejerare: cuius commissionis literas dedi in *cap. licet, de accusationib.* Sed cum Archiepiscopus conscientia de admittis criminibus accusaret, & nec fateri tutum, nec pejerare licitum existimaret, cum die condicto ad purgationem consisteret, cum compurgatoribus coram utroque iudice interrogatus sub juramento, renuit jurare, nisi sub ea forma, videlicet, se immunem esse ab illis delictis. Quam novam jurandi formam cum ipsi iudices notassent, agnoverunt in ea non levem fraudem latere, quia si post penitentiam, & satisfactionem ita jurabat, verè assererat se immunem esse ab illis delictis: quare ut suspectam, & inauditam hanc formam jurandi rejecerunt, exigentes juramentum juxta consuetam formam. Quare ipse Archiepiscopus, ut ab eis gravatus ad Sedem Apostolicam appellavit: Innocentius autem in præfata epistola eisdem iudicibus rescribit, quomodo purgatio, & sub qua forma juramenti Archiepiscopo injungenda esset. Textum hunc transcripsi pro ut ex registro Vaticano reperitur apud Manrique ubi supra.

COMMENTARIUM.

2. **C**onclusio **I**n his omnibus Decretalibus agitur de purgatione canonica injungenda tam Episcopis, Presbyteris, quam laicis infamiam laborantibus, cum crimina ab eis admittâ plene probari nequeunt, & de forma servanda in ipsa purgatione; quare eas sub unico commentario exponere necessarium duxi. Sit assertio: *Infamatus de delicto, quod plene probari nequit, purgandus est proprio juramento, & compurgatorum.* Probant eam textus in *cap. sacerdotes 33. 50. dist. cap. Presbyter 5. cap. habet 6. cap. Memoriam 7. cap. quotiens, & per rotam 2. q. 5. cap. decernimus 3. q. 9. cap. Presbyter, cum sequentibus 2. q. 4. cap. tua 9. de cohabit. cleric. cap. tam. literis, de testibus, cap. tunc, de apostatis, cap. laudabilem, de frigidis, cap. Artaldus 8. q. 3. cap. insinuatam, de simonia, cap. 2. de calumn. cap. excommunicamus, §. quia autem, de heretic. cap. qui admittit 1. §. quest. 8. cap. ex literis 19. de homicid. cap. ad nostram, de probat. cap. 5. de adulteris, cap. 1. de confessis, cap. 1. §. quest. 1. cap. ex parte, de offic. ordin. cap. literas, de præsumpt. cap. veniens, cap. cum oporteat, cap. inquisitionis, cap. accedens, de accusat. Nicolaus ad consulta Bulgar.*

cap. 6. Cum liber homo crimine fuerit appetitus, si jam pridem repetitus est alicujus sceleris reus, aut tribus testibus convictus, pena succumbit; aut si convicti non potuerit, ad Evangelium sacrum, quod sibi obicitur, minime commississe jurans absolvitur, & deinceps huic negotio finis imponitur. Concilium Pistense can. 4. Si quis in exercitu, vel infra regnum sine iustione canonica per vim hostilem aliquid prædari, aut fenum tollere, aut granum, sive pecora majora, sive minorâ, domosque infringere, vel incendere ausus fuerit, hæc nefiant omni modo prohibemus: quod si ab aliquo præsumptuose factum fuerit, sexaginta solidos, si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Alia juris testimonia congesterunt Crespetus in *summa*, verbo *Purgatio canonica*, Antonius Aug. in *epit. jur. lib. 3. tit. 8.* Illustrant ultra congestos à Barbosa in *præfati*, Fornerius *lib. 6. rer. quotid. cap. 8.* Panciroli *lib. 4. var. cap. 84.* Lindembrog in *glossar. legum. verbo purgatio*, Cujac. in *cap. vestra, de cohabit. cleric. & lib. 1. feud. tit. 1.* Landmeter *lib. 2. de veteri cleric. cap. 108.* Torreblanca *de magia, lib. 3. cap. 20.* Delrio *eod. tract. lib. 4. cap. 4. quest. 3.* Idem Torreblanca *de jure spirit. lib. 15. cap. 13.* Juretus in *notis ad epist. 5. 4. 190. & 206.* Carnor. *Fragolo de regim. Christ. Repub. lib. 12. disput. 25. §. 3.* Hallierius *de sacris elect. lib. 2. cap. 2. art. 1. §. 2.* Fillesacus in *cap. 5. de offic. ordin. §. 3.* Bignon ad *Marculf. lib. 1. cap. 38.* Mancipus *de tripl. jur. collat. cap. 92.* Ansenius *de jur. jur. cap. 2. 8.* Lemaitre *de jur. eccles. lib. 3. cap. 7.* Durantius *Casellius lib. 2. var. cap. 1.* Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. 11.* Cresolius *lib. 3. mystag. cap. 18. sect. 2.* Gibalin. *de negot. tom. 2. lib. 6. art. 8. num. 36.* Scortia in *select. Pontific. constit. epit. 9. theorem. 28.* Borell. in *summa decif. tit. 5. 3.* Bermondus *de public. concubin. verbo in Conciliis*, Balboa in *cap. at si clerici 4. num. 26. de iudic. Vegain eodem textu, num. 26.*

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis valde redditur sequentibus juris principiis. Aut enim purgatio canonica indicitur, quia accusator legitimus non est, & tunc fatigandus non est accusator, cap. *accusator 7. q. 1. cap. 1. ubi late probavi, de accusat.* aut legitimus est accusator, sed crimina objecta non probavit: & tunc certum est, accusatore non probante, reum esse absolvendum, l. 1. & 3. *C. de eadendo.* Igitur neutro casu purgatio canonica potest injungi; nec interest, quod ipse reus postulatus laboret infamiam, quia fama, aut rumori temere credendum non est, cap. 2. *de cohabit. cleric. cap. 5. de eo qui cognov. consanguin. cap. 6. de fide instrum.* Alioquin, ajebat Quintilianus, *fraude inimicorum falsa vulgantium saepe fama noceret etiam innocentibus: fama saepe numero malignitas initium, credulitas incrementum dat.* Quare Pontifex in *cap. vestra 8. de cohabit. cleric. ait: Non testimoniis, quæ rumor spargit, atque circumfert, etiam si dicantur esse quorundam bone existimationis hominum; sed testibus tantum in judicium productis esse credendum.* Quod & docetur in l. 3. §. idem Dominus. ff. *de testibus.* Faciunt Cicero pro *Posthumo*, ibi: *isidem testibus, inquam, & quidem non productis, sed dictis testimoniis recitatis, quasi præjudicata res ad has causas deferatur.* Tacitus in *lib. de Oratoribus*, ibi: *Testimonium in iudiciis publicis, non absentes, nec per tabellam dare, sed coram, & per præfentes.* Igitur si adlit infamia, seu rumor contra ipsi reum postulatam, non ideo cogendus

coendus est purgationem canonicam subire. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, quia licet in causis civilibus probationum inopia laborantibus iurandum deferri possit reo a parte, vel iudice, *l. admonendi, ff. de iur. iur. l. 3. C. de rebus credit.* tamen in causis criminalibus non licere iuramentum hoc deferre, probat *Forner. lib. 5. rer. quot. cap. 19.* Augetur secundò hæc dubitandi ratio, nam fallax valde est hoc genus purgationis; siquidem testes compurgatores deponunt tantum de credulitate, cum debeant deponere in his, quæ perceptum sensu corporeo, *leg. testium, Cod. de testibus. Fachineus lib. 1. 1. contr. cap. 69.* & ita testi deponenti de credulitate in facto alieno fidem non adhiberi, post *Glossam* docent omnes repetentes in *dist. leg. testium, Felinus in cap. quotiens, de testibus.* Igitur non rectè in præfenti docetur, purgationem canonicam esse injungendam eis, qui infamiã laborant, si delictum probari nequit. Unde *Smarragus* in libro *de pressuris ecclesiasticis, p. 1.* improbat hanc conjurandi confectudinem, dicitque adinventam, ut in sacerdotes Dei liberius malevoli læviant, ibi: *Satisfactionem igitur accusati sacerdotis sub iurejurando minime dicunt valere, nisi plures etiam sacerdotes simul compellant jurare, in quibus hoc assumunt in testimonium, quod factum se legisse iactant in actibus Romanorum Pontificum; nam quod de Damaso, & Sixto, & Symmacho venerabilibus Pontificibus invenitur, eo quod dum à quibusdam perveris criminibus accusarentur, collectis Episcoporum Concilii synodice purgati sunt, hæc se his verbis intelligere fatentur, quod omnes præfati Episcopi cum ipsis Pontificibus pro illatis iurassent criminibus: quasi non eos propria tantummodo absolveret satisfactio, nisi hæc etiam predictorum confratrum firmaret juratio. Nobis tamen quod sic intelligendum sit, reverà non patet; planè enim à predictis Episcopis præfatos Pontifices accepimus, sed ipsorum suggestione, propria tantummodo satisfactio, ipsi etiam faventibus eos alienos à criminibus fuisse firmatum est. Sed si pro alicuius iusti innocentia alicui placuit sacramentum præbere charitatis causâ, ut eum vel sic à persequentibus liberare omnimodis placet; verumtamen licet perverforum infestatione quasi in primitiva Ecclesia hoc fieri potuisset, tamen exemplum in posterum relinqui debuit: quo etiam in sancto Concilio, vel cuius Catholici, & Apostolici viri decreto sancitum sit, sacerdotes Dei à criminibus absolvi non posse, nisi confratrum satisfactio, ignoramus. Cum enim sacramenta omnibus interdicta sint Christianis, valde perniciosum est sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, unde etiam se custodire, quam & illos debuerunt arguere. Accedit, nam facilè colludentibus compurgatoribus cum ipso reo probabitur hoc modo ejus innocentia, ut suo tempore contigisse refert *Hincmarus* in epistola ad *Coepiscopum Joannem*, his verbis: *Qualiter de infamato Presbytero ex auctoritate majorum tenemus, tua dilectioni mandamus; & sicut sanctus Gregorius decrevit, si mala fama ex similitudine per parochiam de Presbytero exierit, & accusatores, ac testes legales defuerint, ne contra Apostolum infirmorum corda de mala fama Presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, nec securiores Presbyteri existentes, licentiùs in peccatum labantur, secundùm decreta majorum cum denominatis sibi vicinis Presbyteris septem, quos scimus nolle perjurare, sacramento famam suam purget. Si autem denominatos à nobis sibi Presbyteros ad famam suam pur-**

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

gandam habere nequit, & alios secum ad iurandum conduxerit, quoniam experti sumus, quosdam admicem conspirasse, ut reputati in iudicio in sua purgatione jurant, sicut & Presbyteri pleni iniquâ cogitatione adversus *Susannam* conspiraverunt, Presbyteri qui in purgatione infamati sacerdotis, seu unâ cum eo ad iurandum offerunt, examinationem iudicii per advocatum infamati Presbyteri recipiant, ut in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc jam revocatos comperimus.

Quâ dubitandi ratione ita fulcitâ non obstante, vera est præfens assertio, pro cuius plena expositione sciendum est, purgationem duplicem esse; canonicam videlicet, ita dictam, quia canonicis recepta est, de qua in præfenti titulo; aliam vulgarem, quæ vulgi moribus inducta est, sæpiusque ab Ecclesia reiecta, de qua infra, titulo sequenti. Purgatio canonica olim variis modis iungebatur, fiebatque primò per iudicium crucis, cuius purgationis per crucem mentio fit *lib. 1. capitul. Caroli, cap. 108. lib. 3. cap. 46. lib. 4. cap. 126. in appendice 2. ad lib. 4. cap. 33. in legibus Longobard. tit. 26. & 33. & in can. 17. Concilii apud Wermer. cuius verba dedi in c. 3. de frigidis.* Quomodo tamen hæc purgatio fieret, & quodnam esset hoc iudicium crucis, variè exponunt Interpretes. *Vittus Amerbachius in notis ad const. 34. Caroli Magni, Gadelmanus lib. 3. de magis. cap. 5. Torreblanca de magia lib. 5. cap. 23. num. 26.* existimant fuisse quoddam armorum genus conformatorum in speciem crucis. Sed facilè eos refellit *Theoph. Raynaud. de calumn. sect. 3. cap. 2. quest. 1. & expensè hæc sententia reicitur ex dicto canone 17. Concilii apud Wermer. ubi hæc purgatio æqualiter indicitur viro, ac uxori; quod absurdum est, si per eam cum armis pugnaretur. Delrio lib. 4. de disquisit. cap. 4. quest. 6. num. 2. Grethferus lib. 2. de cruce, cap. 25. docent, purgationem hanc per crucem continere sortes qualdam, quæ jaciebantur ad crucem, juxta formam præscriptam in legibus Frisionum tit. 14. §. 1. Parabantur quidem duæ tessere, quarum una pura, altera crucis signo notata erat; & linteo super altari involuta ponebantur, & post varias preces à Presbytero, vel puero extrahebantur; & si prima crucis tessera extrahebatur, innocentia illius, cuius fuerat, probata manebat: qui ritus ut superstitiosus, et si diu duravit, tandem est sublatus. Alio etiam modo purgationem per crucem fieri constat ex formula incerti actoris, & ex legibus Ripuar. tit. 7. ubi jubetur, reum criminis stare ad crucem per 42. noctes, & si non possit, & caderet, nocens credebatur; aliàs innocens maneret. Sed verius est, iudicium crucis esse tantum iuramentum per crucem præstitum, aut contactâ sanctâ cruce, quale sæpè sæpius usitatum refert *Grethferus lib. 2. de cruce, c. 16.* referuntque similia iuramenta *Nicetas Choniates in Alexio Duca, & Cedrenus in Constantino Leonis filio: quomodo exposui dictum canonem 17. in c. 3. de frigidis.* Alia etiam purgatio canonica olim in usu erat per susceptionem Eucharistiæ, tam in furtis, & homicidiis, quam in aliis criminibus*

Y y 2

depra-

5.
De pur-
gatione
canonica.

deprehendendis, cap. *sepè*. cap. ult. 2. q. 5. quam Gregor. VII. insinulatum simoniae ab Henrico III. Imperatore publicè Missam celebrando adhibuisse, subiissequè, referunt ex aliis Theophilus de calumnia, sect. 3. cap. 2. q. 3. Delrio *disquis. magic. lib. 4. q. 3.* quae probatio non ad extorquendum à Deo miraculum, sed in testimonium innocentiae adhibebatur; neque enim qui sceleris sibi conscius erat, audebat Christi corpus sumere in iudicium, & condemnationem, ut loquitur D. Paulus, & exponunt Delrio *suprà*, Suarez *lib. de irreligiosis. cap. 3. sub finem*, Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 34. num. 13.* quamvis huic probationi adhibebatur aliquando imprecatio, quae quis sibi imprecabatur, ne Eucharistiam glutire posset, aut eodem momento periret, ni verum diceret, ut constat ex formula huius probationis, quam tradit Trithemius in *chron. Hirsaugensi*. Et cum hoc ritu quidam abuterentur, ut refert Balsamon in *canone 61. 6. Synodi*, prohibita fuit hæc purgatio, ut alia pergrina iudicia improbata fuerunt, cap. *tribus*, de *consecr. dist. 2. cap. dilecti*, cap. *ex tuarum*, hoc tit. docet Gibal. d. lib. 6. art. 8. Prado de *Eucharistia q. 80. dubit. 8. §. 5.* quem purgationis ritum adumbrarunt Gentiles, ut refert Acron vetus Horatii commentator, qui ad librum primum *epist. 10. vers. 10. ait: Cùm in servis suspicio furti habetur, ducunt ad sacerdotem, qui crustum panis carmine infectum dat singulis, quod cùm ederit, manifestum furti reum asserit.*

6. Tandem purgatio canonica, de qua in præsentis titulo, fit per iuramentum, quo quis se innocentem esse sceleris sibi afficti, & impositi, invocato Deo in testem, affirmat; quam purgationem initium Cujac. in *cap. 8. de cohabit. cleric.* trahere ait à dispositione legali, de qua in *l. 4. §. sed si ferre vus*, ff. de *edendo*, l. 3. §. *sicubi*, C. de *his qui ad Ecclesiam*, l. ult. C. de *bonis auctorit. jud.* Et sanè iure civili iurejurando plerumque decidebantur controversia, l. 1. ff. de *iurejur.* Ideo qui amovisse dicitur, compellitur jurare, l. *Marcellus*, ff. *ver. amot. l. ult. §. licentia*, C. de *iure delib.* Similiter & qui suspectus usura est, interpositaque per dolum persone, l. *eos*, §. *ul. C. de usur.* faciunt lex §. ff. de *public. judic.* lex 6. C. ad *leg. Corn. de sicar.* lex ultima, C. de *abolit. lex si duo* 13. §. *idem*, lex in *duobus* 28. §. *si qui*, ff. de *iurejur.* Cujus rei alia innumera exempla extant in Pandectis. Quare sapienter Justinianus dixit, sacramenti timore compelli contentiosam litigantiam instantiam, in *l. 1. C. de iurejur. propter calumn.* Pancirola verò *lib. 1. var. cap. 84.* existimat ex iure Longobardorum purgationem canonicam descendere; si quidem apud eos actore non probante, si qua erat pro eo conjectura, reus iuramento se expurgare, aut causam suam iustam probare tenebatur, & alios duodecim suæ assertionis testes producere, cap. 1. de *contentione inter dominū, & feudū*, §. *cùm auzem, si de investitura feudi, in usibus feudorum.* Sed verius credo, genus hoc purgationis apud varias gentes invaluisse, ut ex Bajubariis constat ex titulo 15. legum ipsorum, cap. 12. ibi: *Iudex causam suam bene cognoscat, & prius vel tacitus inquireat, ut eum veritas latere non possit, nec facile ad sacramenta veniatur.* Et paulò post: *Nulli liceat perjurare, sed sicut iudicatum exsolvi.* In his verò causis sa-

cramenta præstentur, in quibus nullam probationem discussio iudicantis invenerit. Apud Frisiones ita cavetur. *Non iuret, sed componat, ac si ipse eum occidisset.* Apud Anglos tit. 9. ita legitur: *Si negat, cum undecim iuret, aut campo decernat.* Wilhelmus Angliæ Rex apud Hovedenum ita sanxit: *Si appellaverit Anglicus Francigenam, & eum approbare voluerit, iudicio, aut duello, volo tamen Francigenam purgari sacramento, non ferro.* Apud Francos similem purgationem invaluisse constat ex variis capitularibus infra referendis, & ex lege Salica, tit. 50. & 55. & ita ius consuetudine apud tot gentes receptum Ecclesia admisit, & statuit in canonicis supra relatis: ipsique Summi Pontifices calumnias sibi objectas ea ratione diluerunt, ut Leo III. ut referunt Monachus Engolismensis in *vita Caroli Magni*, ibi: *Inter qua vel maximum, & difficillimum erat de discutiendis Papa obiectis criminibus; & dum nullus probator criminis esse potuit, Dominus Papa Leo coram omni populo in Basilica B. Petri Evangelium portans, ambonem conscendit, & invocato sanctæ Trinitatis nomine, iurejurando ab obiectis criminibus se purgavit.* Monachus Sangalensis in *vita Caroli Magni*, ibi: *Illic interemerat Pater Leo assumens Evangelium Domini nostri Iesu Christi, posuit super caput suum, & in conspectu Caroli, eiusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis, in hæc verba iuravit: Sic in die magni iudicii sem particeps Evangelii sicut immunis sum criminis falsò mihi ab istis obiecti.* Refert Lindembrog in *Glossario*, verbo *Purgatio*. Similiter & fecit Pelagius, ut refert Anastasius in eo: qui Pelagius tenens Evangelia, & crucem Domini super caput suum, in ambonem accedens satisfecit cuncto populo, & plebi; quia nullum malum peregrisset contra Vigilium. Purgationis Damasii Papæ meminerunt Sigisbertus, & Anastasius in eo: Sixti III. & Symmachi Anastasius Biblioth. in *eorum vitis*; quorum & similia exempla referunt Pitheus in *onomast. ad capitularia*, verbo *Purgatio*. Delrio *lib. 4. disquis. magic. cap. 3. quest. 3.* Quare Hincmarus in opusculo de divortio Thebergæ interrog. 6. ait: *Hanc purgationem in ecclesiasticis, & externis legibus receptissimam esse, & à primis seculis usitatum.* Cromerus *lib. 15. hist. Polonia*, narrat Sophiam Reginam stupri insinulatam iuramento ase, & aliis septem honestis viris præfinito se purgasse. Solenne porro fuit, iuramentum hoc præstari publicè in Ecclesia, aut tumulis Martyrum, aut altari, vel etiam extra Ecclesias, admotis Sanctorum reliquiis. Concil. Meldense *can. 39. ibi*: *Tantum hoc malum est, ut ad Sanctuarium Martyrum, ubi diversorum agritudines sanantur, ibi perjuri, licet manifestè interdum peccari non videantur, iusto Dei iudicio à demonibus arripiantur, sicut sanctus dicit Gregorius.* In legibus Aleman. tit. 6. ita cavetur: *Sacra sic fieri debent, ut illi juratores manum supra capsam ponant.* Gregorius Turon. *lib. 4. hist. cap. 46.* requirit hominem alium Ursium nomine, quem ad altare clam adductum jurare fecit, ac dicitur: *Per hunc locum sanctum, & reliquias Martyrum beatorum, &c. Et lib. 5. cap. 32.* Si, inquit, es innoxia, super tumulum hoc B. Dionisii Martyris sacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito, ad Basilicam Martyris sancti conveniunt. Elevatis pater manibus super altarium iuravit filiam non esse culpabilem. Et *lib. 8. cap. 16. ibi ad Basilicam beati Martini, & sacramento*

me exuens, innocens redibo. Et lib. 1. de miraculis, cap. 33. Quidam tempore Felicis Biturigum Episcopi vicinos suos quodam pro crimine impetebat; quos cum plerumque verbis procaibus lacefferet, ac iudicio publice provocaret, decretum est sententiam Primorum urbis, ut se ab hac noxa, qui impetebantur, sacramento purgarent. Ingressique in ejus memorata adis altare, cum elevatis manibus sacramenta proferrent, &c. Marculf. lib. 1. formul. cap. 38. Se dum inter se contendere, sic eisdem a proceribus nostris, in quantum illustis vir ille Comes Palatii nostri testimonio ait, fuit iudicatum, ut de quinque denominatis, idem ille apud tres, & alios tres, sua manu septimam, tunc in Palatio nostro super capellam Domini Martini, ubi reliqua sacramenta percurrunt, debeant conjurare. Plura congesserunt Zerda in adverb. cap. 122. num. 14. Baronius, & Coriolanus anno 412. Ferrandus lib. 2. disquisit. reliq. cap. 3. a num. 3. Lantdmeter. lib. 2. de veteri cleric. cap. 108. & hac purgatio manufacta dicitur lib. 2. feud. tit. 27. §. si rufficus, ibi: Et manu propria singula cum sacramento idoneum se facere. In Capitularibus Caroli, lib. 1. cap. ult. apud Arnulfum in Synodo habita Durocortori Rhemorum can. 30. Postquam peroravero, me dexteram esse sacramento firmabo. D. Bernardum epist. 235. Nisi Decanus, quod obiectum ei fuerat, propria manus iuramento repelleret. Illustrat Jurctus in not. ad Ivonem Carnot. epist. 206.

fuisse, veteribus constat; ideo manus attollere jurantes solebant. Gregorius Turonensis lib. 1. cap. 32. ibi: Elevatisque super altarium manibus juravit. Lucanus.

Elatisque altè promissere manibus.

Ideo in Concilio Triburiensi, cujus verba reperuntur apud Gratianum in cap. si quis 2. quest. 5. ubi agitur de Presbyterorum juramento, dicitur: Manus enim, per quam corpus, & sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? Absit. Itaque in capitularibus Caroli, lib. 3. cap. 4. & 10. & lib. 5. cap. 125. per juro jubetur manus amputari; & factum refert Hermoldus in historia Sclavorum lib. 1. cap. 29. ibi: Rudolfus vulneratus in manu dextra fugit Marcipolim, mortique jam proximus dixit ad familiares suos, videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam? Hac ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec insidiarer glorie ejus: sed jussio Apostolica, Pontificumq; petito me ad id deduxit, ut juramenti transgressor honorem indebitum mihi usurparem: quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi? Illustrat Cironius in presenti, & lib. 2. obs. cap. 11. Le-maistre de jurib. eccles. lib. 3. cap. 7.

Ratio presentis assertionis, quare videlicet illi, qui infamia laborat, cujus delictum probari nequit, iungitur purgatio canonica, provenit ex eo; nam cum fatius sit purgatus esse, quam suspectos, ut Alexand. Magnus agebat apud Quintum Curtium lib. 7. ideo Ecclesia, quæ optat in suis ministris, & fidelibus Catholicis crimina radicibus abolere, nec eorum suspicionem in eis sustinet, statuit, ut cum aliquis laborat infamia alicujus delicti, quod probari nequit, teneatur purgari ab ea suspitione proprio juramento, & compurgatorum, qui jurant credere se, reum vera jurare, ut ita immunis reus ab objecto crimine reddatur. Sinesius epist. 44. ad Joannem quendam de gravi crimine suspectum, ita scribit: Tamest forte apud Deum innocens sis, & sceleris expertus, qui execrandum hoc facinus nec factis, nec consiliis admiseris, nondum te tamen apud nos homines innocentem videris, quando purgatus non fueris. Et qui in hac purgatione deficit, tanquam convictus poenâ ordinariâ punitur, cap. de hoc 11. cap. 13. de simonia. Faciunt singularia loca sacræ paginæ, Exodi cap. 22. ubi ita legitur: Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat, ablata fuerint, si invenitur fur, duplum reddet; si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem. Et Deuteron. cap. 21. ubi patratâ in agro cæde, ignotoque adhuc post sedulam inquisitionem auctore, vult Deus, ut propinqui loci, Præsides, ac Prælati cæsa vitula, fracta que cervice, quasi umbratile supplicium de homicida sumant; adesse siquidem debent majores natu civitatis illius, qui & manus lavare suas debent super vitula cæsa, & rei sacræ interpositione protestari, se innocios esse, & auctoris ignaros Rectè ergo Ecclesia, juxta leges, & consuetudines apud tot gentes receptas, & usitatas statuit, ut infamia notati, si delictum probari nequeat, juramento præstito purgare se teneantur; non tamen hac purgatio facile indicenda est, nec ex alia serè causa, quam scandalum tollendi gratia.

8. Traditur ratio decidendi.

7. Nec tantum in hac purgatione reus ipse jurat, verum & alii tres, quinque; duodecim, aut amplius, juxta qualitate personæ, quæ accusatur, aut gravitatem delicti; qui appellantur juratores sacramentales, ut constat ex l. Salica, tit. 50. & 55. auctore vitæ sancti Eligii lib. 2. cap. 2. apud Surium ibi: Lata sententia est, ut vir ille cum multis aliis juraret. Sic enim apud Francos in more positum est. Verum Abbas omnibus aliis remisit juramentum, ne alterius flagitio implicarentur: solus ille agri usurpator procerum sententiam jurare jussus est. Ex legibus Bajubar. tit. 2. cap. 12. ibi: Cum duodecim sacramentalibus juret delicta sua, vel duo campiones propter hoc pugnent. Gregorius Turon. lib. 8. cap. 9. Fredegundis Regina cum cunctis prioribus Regni sui, id est tribus Episcopis, & trecentis viris optimis, sacramenta dedere, hunc ex Chilperico Rege generatum esse, & sic suspicio ab animis Regis ablata est. Ex lib. 8. cap. 40. Ille electis duodecim viris, ut hoc scelus perpetraret, advenit. Inde in veteribus legibus reperitur manu quintâ, manu sextâ, duodecima purgari, tit. 6. legum Alemanorum, legitur: Sextâ manu jurare. Et in leg. Ripuar. tit. 35. Septimâ manu fidem facere. Et tit. 14. legum Frisionum: Duodecim a manu obiectu criminis se purificare sacramento. Et passim in hoc titulo dicitur, quartâ aut quinta manu purgari. Et in cap. quotiens 2. q. 5. tertiam manu sui ordinis, & quartâ manu Abbatum, & religiosorum sacerdotum se expurgare. Et in cap. requisisti 13. q. 1. septimâ manu propinquorum jurejurando, tactis sacrosanctis reliquiis diceret: ut etiam in cap. laudabilem, cap. litera, de frigidis. De hoc modo jurandi locus est singularis in prisca lege Alemanorum, tit. 6. ibi: Ista verò sacramenta sic fieri debent, ut illi juratores manus suas supra capsam ponant, & ille solus, cui causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic eum Deus adjuvet, vel illa reliquiæ, & illas manus, quas comprehensas habet, ut de illa causa, unde interpellatus est, culpabilis non sit. Manum autem symbolum fidei D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Y 3 juxta

juxta Concilium Illerdense in cap. Presbyter, 2. q. 4. ibi: Ne populus fidelium scandalum patiat. Quare ubi scandalum, aut infamia non adest, talis purgatio indicenda non est, quia ut ait Cornelius Papa in cap. sacramentum 2. q. 4. Sacramentum à summis sacerdotibus, vel reliquis non nisi pro recta fide exigitur.

9. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam licet in causis civilibus regulariter actore non probante, reus absolvatur; tamen in criminalibus Ecclesia exigit, ut reus probet suam innocentiam, aut saltem cum gravis infamia, inde orta est, vel scandalum in populo adest, ut etiam jure civili in gravioribus criminibus, veluti Majestatis, desertæ militiæ, peculatus, non tantum accusator ea, quæ objecit, probare debebat, verum etiam reus, alioquin non absolvebatur, et si actor in probatione deficeret, quia purgatio ex parte rei desideratur, l. fallaciter, in fine C. de abolit. Sicut enim in causis civilibus, si dubiæ sint, adfintque conjecturæ, actore non probante reus non absolvitur, sed iudex defert iuramentum reo, vel actori, l. admonedi, ff. de iur. iur. l. 3. C. de rebus creditis, Novella 124. Justin. Ita etiam in criminalibus, actore non probante, si causa dubia est, propter infamiam & scandalum purgatio per iuramentum rectè reo deferretur. Nec obstat textus in d. cap. 1. de accusat. què in

eius commentario exposui. Nec obstat augmentum deductum ex eo, quod iuramentum deferri non possit à iudice reo in causis criminalibus. Nam licet satis controversum sit, an iuramentum deferri possit reo, tam ab actore, quam iudice, in causis criminalibus; placet tamen sententia Fornerii dicit. cap. 5. Bronchorst. enantioph. cent. 2. assert. 27. qui asserunt, iudicem tantum purgationis causâ iuramentum deferre posse, actorem verò in causis criminalibus civiliter intentatis, non verò criminaliter, illud deferre posse; qui varia iura exponunt. Nec obstat, quod dicebamus, hoc genus probationis fallax esse: tum quia testes in eo deponunt de credulitate: tum quia facillè inter eos collusio dari potest; nam quando testes compurgatores, qui debent esse vicini, juxta supra tradita, deponunt se credere reum iuramentum verum dicere, rationem depositionis reddunt, videlicet quia ut vicini, si aliàs esset scilicet delictum admittum, non ignorarent: & ideo testes deponente se scire, qui vicini sunt, plenam probationem facere, post Bartolum in l. 1. ff. de rebus creditis, probat Fachineus lib. 11. contr. cap. 69. per totum. Quod autem colludere possint, non est attendendum, cum nemo credatur immemor salutis æternæ, & cum iuramento omnes illi deponant.

TITULUS XXXV.

De purgatione vulgari.

CAPVT I.

Coelestinus III.



Vra suscepti regiminis nos inducit, ut fratrum nostrorum debeamus respondere consultationibus, & ab eis, quantum humana fragilitas permittit, dubitationis scrupulum amputare. Inde est, quod cum tua fraternitas duxerit Sed. Ap. consulendam, utrum super Ecclesiarum præsentationibus duella debeant sustineri? tua duximus sollicitudini respondendum, quod in eo casu, vel in aliis etiam hoc non debes aliquatenus tolerare.

NOTÆ.

Coelestinus III.) Ita etiam legitur in cap. unio. hoc tit. in 2. collect. & in cap. 2. de cleric. pugn.

in duello, in eadem collect. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

CAPVT II.

Idem Priori sancti^a Sergii Spoletani.

Significantibus Vv. laico, & fratribus ejus, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quo cum quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo præter terræ consuetudinem coacti sunt inire duellum, in quo aliis peccatis suis præpediantibus ceciderunt: propter quod post appellationem ad nos^b interpositam, per Consules Spoletanos bonis fuerunt propriis spoliati: nunc verò furtum apud alios est inventum, &